



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

De Charitate Dei. Exercit. 69.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



pignoris optione.

DE CHARITATE DEI.

Exercit. 69.

*Psalm. 17. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.*

*Psalm. Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram: defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum.*

*1. Cor. 13. Si charitatem non habuero: nihil sum, nihil mihi prodest.*

*1. Ioan. 3. Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus quam infinitum bonum sit Deus, & quam dignus qui ab omnibus diligatur: quem quantumlibet dilexerimus: maiorem tamen amorem meretur.

*Gratiarum actio.*

**G**ratias reddemus Deo, quod non tantum facultatem nobis tribuat, sed etiam iubeat, ut ipsum diligamus: cum tamen amor noster nullius momenti sit: gratias etiam age-

g s mus



in is ei quod factus sit thesaurus, beatitudo & omne bonum nostrum, ne in alio quam in ipso, cor & amorem nostrum collocaremus.

*Confusio.*

**E**Rubescemus, quod tam tepidissimi in amore infiniti huius boni: quod etiam ita mentis inopes simus, ut cor & manus ad eum offendendum conferamus.

*Petitio.*

**P**Recabimur Deum, ut nos diuino amore ita succendat, ut in nulla re præterquam in ipso quiescamus: nec vnquam ab amore & laudibus ipsius cessemus: desideremusque, ut ab omnibus laudetur, ametur, & voluntas ipsius perficiatur: doleamus etiam ex intimo cordis, quod ab aliquibus offendatur.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo voluntatem & totum cor nostrum, ut illud ita transformet in se per amorem, ut omnium rerum mundanarum obli-



oblitum, in illo submergatur. Offeremus ei etiam ardentissimum amorem, quo Seraphim eum diligunt: desiderando eodem feruore quo ipsi, imo si fieri posset multo maiori, Deum amare.

## DE CHARITATE

proximi.

Exercit. 70.

*Ioann. 11. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.*

*1. Ioann. 4. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit mendax est.*

*1. Ioann. 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam: quia diligimus fratres: qui non diligit manet in morte.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus, quam seuerè præcipiat nobis Deus amorem proximi, atque inde conijciemus quantum placeat, ei idem.